

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Contemplacio ag  
cum fonte primo

Tria sunt genera meditacionum:  
unum in creaturis, unum in scripturis,  
unum in moribus.  
Primum surgit ex admiracione,  
secundum ex lectione,  
tercium ex circumspectione.  
Admiracio generat questionem,  
questio inuestigacionem,  
inuestigacio inuencionem.

Lectio ad cognoscendam ueritatem  
materiam ministrat, meditacio coaptat,  
oratio subleuat, operacio componit,  
et contemplacio in ipsa exultat.

Hugo in meditacionibus suis.

Tria sunt genera meditationum:  
unum in creaturis, unum in scripturis,  
unum in moribus.  
Primum surgit ex admiratione,  
secundum ex lectione,  
tertium ex circumspectione.  
In primo admiratio quaestionem generat,  
quaestio investigationem,  
investigatio inventionem.  
Admiratio est dispositionis,  
quaestio causae, investigatio rationis.  
Dispositio est, in coelo cuncta aequalia,  
in terra alta et depressa: pro hac admiratio.  
Causa, propter vitam terrenam terra,  
propter vitam coelestem coelum:  
pro hac quaestio.  
Ratio, qualis terra, talis vita terrena;  
quale coelum, talis vita colestis:  
pro hac investigatio.  
In lectione autem sic considerandum.  
Primo lectio ad cognoscendam veritatem  
materiam ministrat, meditatio coaptat,  
oratio subleuat, operatio componit,  
contemplatio in ipsa exsultat.

Hugo de sancto Victore, *De meditatione*,  
1.Prol.2 (SC 155, R. Baron ed., pp.44/46,  
ll.4-19).